MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS IV)

Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 53r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

te ad auxilium nostrum sanctissimum patrem Benedictum.
ut aperiat oculos nostros. et sic congrua penitu-
dine satisfacientes. sub uoto iusiurandi promit-
tamus. numquam talia nos presumpturos. Testamur
regem celorum. quia penitet nos factorum. Ad hec
uerba fratres in commune solotenus fusi. rogare e-
nixius Christi clementiam ceperunt. quatenus pe-
nitencia illorum suscipere dignaretur. et lumen perditum
illis restituere non negaret. Completa oratione re-
cordatus est dominus misericordie sue. et aperuit illorum oculos
qui in tenebris uersabantur. Et illi quidem secundum
quod spoponderant. ilico super sacra pignera digi-
tos imponentes. iurabant per misterium crucis
Christi. et per ~~patronum~~ sancti Benedicti patrocinium se
ulterius numquam talia conari. et ut propria man-
cipia amodo fideles existerent. BENEDICTO pa-
TRI. pacto iuramine facti sunt uersa uice amici.
qui paulo ante uidebantur inimici. Utebatur
autem sanctissimus pater ministerio episcoporum mirum in modum.
Nam quos habuit prius inuasores. tunc cepit
habere deuotissimos proprii somatis illatores.
Infulati quippe episcopali more rogatu abbatis. et
fratrum. leuauerunt tantum patrem. et imposue-
runt ceruicibus suis sine pondere pondus. Sic
que cum omni hylaritate cordis quamuis pleni lacrimis
portauerunt piissimum patronum. et intulerunt
in proprium mausoleum. quod iam per biennium sui man-
soris caruit presentia uiduatum. Vere mirabi-
lis deus in sanctis suis. Illi qui uenerant sancti patris rap-
tores subito effecti sunt latores eius. et iocundissi-
mi reconditores et inclusores. eo denique uoto
quatenus annis successuris quo aduiuerent. die
eodem episcopalibus officiis tanto patri deseruire in eo
dem loco non dubitarent. Sicque omni gratulatio-
ne diuina per celebrato misterio statuerunt
singulis annis omni tempore futuri eui. illum
diem sollempniter per Galliam tota celebrari. Vo-
cauerunt autem sollempnitatem eandem illationem
sancti BENEDICTI. eo quod ipsa die illatus est in mo-
nasterium sancte et semper uirginis MARIE. latus de
monasterio sancti PETRI. apostolus Dicitur autem illatio. nam simplicioribus dico. quasi inductio uel importacio.
Vocabulum utique rei est. ab eo quod est infero. Nam
illam causam dicimus inferri. que haut procul a no-
bis sita est. Illam autem dicimus transferri. unde et
translationem trahimus. que nobis e longinquo et
remoto loco inuehitur. Hoc in illatione pacta

episcopi simulque omnes aduenticii qui tale spectacu-
lum cernere meruerunt. magno perfusi gaudi-
monio. ad propria sunt regressi. benedicentes per omnia deum.
Nunc quoque nostris quoque propemodum excellentis tem-
poribus quiddam memorabile ibi eadem crepitante
festiuitate accidit. Quod quia memoratu dig-
num monasticis auribus approbo themate quo ualeo
silentio non supprimo. Destinatum quippe michi
est gloriam et honorem tanti asili. et spatiosi lucte gym-
nasii non tacere. immo ecclesiastis auribus queque ho-
nesta et sancta sunt enucleatius intimare temptare.
re. Cum eidem festiuitati de qua hactenus egi-
mus enormis multitudo fidelium quadam uice ob pa-
daret occurrere. et maxime monachorum exer-
citus uti solet in loco eodem confluerent. quatenus
patri benedicto attencius sollempnizarent. et
episcoporum atque abbatum numerositas interesset. persolu-
ta festiuius uigiliarum sonora synaxi. atque ma-
tutinorum odoriferis finitis ymnis. iuxta mo-
rem regularis ordinis cymbalum a decano per-
cussum lassis fratribus quia aliquid adhuc de nocte
super fuit quiescendum significauit. quatenus illu-
cescente die missarum sollempniis. ualidio-
res redderentur. Cumque se fratres in pausatorio ad
quiescendum recollocarent. et uulgus iam ex
toto effluxissent monasterio. Senex quidam
monachus nomine Christianus. qui eiusdem loci
edituus extitit. solus in oratorio remansit.
Quiescentibus autem cunctis Christianus se beato
patri BENEDICTO prostrauit more solito. Di-
utius quoque orationi incumbens subito lassitudi-
ne cogente obdormiuit. O felix sompnium. cum
ecce subito uir ueneranda canicie. uultu de-
coratus angelico. habitu monachico trabeatus.
et quasi puer duodennis cambutte eius baiolus
sequens eum. lento pede accessit. et interroga-
uit eum dicens. Quid tu hic frater Christiane.
ubi sunt fratres tui. Qui respondit. Vere pater in
dormitorio repausant. quia nox longissima
est et lassati ualde sunt. Et ille. bene inquit a-
gunt. Ac deinde. Cognoscis ne me ait fra-
ter mi. At ille. minime inquit. Ego sum ait
frater BENEDICTUS huius loci prouisor et custos. et
puer pedissequa quem uides filius meus est in
Christo placidus puerulus. Surge ergo uiuacius.
et dic omnibus fratribus nostris ex mea parte salutem
et ueram karitatem. Nam ad nocturnas hic

Visio [illegible]